



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ**

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira  
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Hyemalis - A Dominica I. Adventus Domini nostri usque ad  
Dominicam Septuagesimæ

**Haineuve, Julien**

**Coloniæ Agrippinæ, 1665**

Non intrabit in eam aliquod coinquinatum. Apoc. 21.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44194**

dicere & agere, atque aliud profiteri? Sunt quidem aliqua bona quae probentur in uno magis, quam in alio: sed peccatum in nullo probari potest. Divitias & honores unus cum laude contemnet, quas alius merito retinere potest; At solum est peccatum, quod nemo iure retineat, & quod nemo verè improbet, si tantillum in se probet. *Nimis odito execrationem*, Id est, quantumcunque tibi videaris eam odisse, majori etiam habenda est odio.

Ecl. 17.

## III. PUNCTUM.

**P**RAEVARIATOREM igitur eum esse oportet, qui Conceptionem sine macula colat, cum voluntaria macula. Quia in colendo talem Conceptionem, videtur eam maculam detestari, quam tamen dum in se admittit aut retinet, adeo non detestatur, ut amet & approbet, sicque aliud agit, & aliud proficitur, quod est seipsum negare, & praevariatorem constituere; atque in offensam Dei non levem incurere. Unde ipse per Prophetam *Ponam*, inquit, *faciem meam in eos, eo quod praevariatores extiterint*. Sic enim videtur augeri peccatum ex mente simulata & ex duplici corde, quod apparet in probando simul & improbando peccato. Unde & rectè Sapiens: *Anima praevicatorum iniqua*. Nam sic

Ecl. 1.

Prov. 13.

iniquè agit, & contra Deum, & contra seipsam. Neque valet quod dicas, te non amare peccatum, cum rem ipsam ames cui annexum est peccatum. Neque etiam excusatur, quod longè sit alia nostri ratio, & beatæ Virginis, à qua omnem culpam removeri dignitas ejus exigit: à nobis autem nostra conditio non ita postulat. Id enim falsum est de gravioribus & voluntariis illis culpis quas fovemus, & quas sic debemus, quantum cum gratia possumus, devitare, ut nihil putemus magis nostrum, quam, *Immaculatos nos custodire ab hoc saeculo*.

Iac. 1.

**MEMENTOTE** istud & confundamini. Redite praevariatores ad cor: Nempè ut hæc cogitet & recogitet coram Deo, & beatissima Virgine, cui quantum vitæ Puritas placet, tam displiceat Impuritas necesse est. Effunde quas voles preces, adorna quo velis munere, sacras ejus imagines & sacras ejus ædes: Erumpe in ejus laudes quantum vis eximias, nihil agis ad ejus cultum, nisi puritatem vitæ quam maximè colit, & quæ maximè se colendam indicat, studiosius conlecteris. *Nunc ergo filii audite me, beati qui custodiunt vias meas*, **BALSAMUM** non mixtum odor meus: & flores mei, fructus honoris & honestatis. *Transiit ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini*. Id est, Immaculatæ meæ Conceptioni vos conformate.

Ij. 46.

Prov. 8.

Ecl. 24.

## IN EADEM DIE,

## AD ILLUD APOCALYPSIS 21.

*Non intrabit in eam aliquod coinquatum.*

## I. PUNCTUM.

**P**RIMO id dicitur de cœlesti Civitate seu Beatitudine, in quam certum est nihil nisi purum & sanctum intrare: ubi maximè adimplètur quod ait Apostolus de Christo Domino, *Qui seipsum tradidit pro Ecclesia ut illam sanctificaret, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta & immaculata*.

Ephes. 5.

DEINDE vero id accommodatur beatissimæ Virgini, quæ est *Civitas Dei de qua gloriosa dicta sunt*: Et semper dici debent, ut est in Psalmo: *Et in quam non intrabit aliquod coinquatum*

Ps. 45.

sive originale sive actuale, *Quæretur peccatum* Ps. 9. *illius, & non invenietur*.

**DENIQUE** de eadem etiam modò id dici potest quo sensu dicimus, intrare in animum alicujus, id est, sibi benevolam & gratiosam faceret: *Sicque non intrabit in eam aliquod coinquatum*, perinde est ac dicere, nullus coinquatus eo vicio quo præcipuè inquinatur animus, nimirum Impudicus, Impurus, Immundus, & quisquis hujusmodi est affectu & habitu, nullus intrabit in animum ejus, quidquid faciat ut sibi eam benevolam & gratiosam reddat, nihil faciet, nisi mutet mentem, & impurus esse desinat. Quod ut plenius ad praxim expendatur sic est concepta,

VERITAS